

## **De Articulis Fidei, Qva Legem Et Evangelium, Sub Auspiciis Sanctissimi Spiritus**

Rostochii: Joh. Jac. Adleri, [1722]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1747875872>

Druck Freier  Zugang



DE  
ARTICULIS FIDEI,  
QVA  
LEGEM ET EVANGE-  
LIUM,

SUB AUSPICIIS  
SANCTISSIMI SPIRITUS,

ET CONSENSU  
SUMME REVERENDÆ THEOLOGICAE FACULTATIS;

PRÆSIDE  
JOHANNE JOACHIM  
WEIDENERO,

SS. TH. D. & PROF. PUBL. ORD., FACULTATIS SUÆ  
SENIORE & ad DIVUM MARIÆ PASTORE,


*Patrono suo atque studiorum Promotore  
æternum colendo,*

ANNO MDCCXXII. D. XVII. OCTOBR.  
publicè & horis consuētis,

*Disputabit:*

GODOFR. LOHMANN,

Rostochiensis, Phil. & Theologiæ  
Studiofus ac Rev. Min. C.



ROSTOCHII,

Joh. Jac. Adleri, SEREN. PRINC. & Acad.

TYPOGRAPH.



V I R O

*Magnifico, Summe Reverendo, Præ-  
Nobilissimo & Amplissimo,*

DOMINO

JO. CHRISTIANO  
SCHAPERO,

CONSISTORII DUCALIS CON-  
SILIARIO

& Assessori gravissimo, Gustrovien-  
fis, Rostochiensis & ex parte, Meclenburgensis Diœcesos  
SUPERINTENDENTI vigilantissimo, Ecclesiæ Cathe-  
dralis Gustroviensis PASTORI meritissimo & Gymna-  
sii INSPECTORE longe dignissimo,

DOMINO & PATRONO SUO

*Omni submississima veneratione perpetim ac humillime prosequendo,*

Hanc Disputationem Sacram  
cupit

GODOFREDUS LOHMANN.



## PRÆFAMEN.

**P**acificationis<sup>\* \* \*</sup> prophanæ<sup>\* \* \*</sup> firmitas<sup>\* \* \*</sup> nititur Articulis  
utrinque consensu quodam approbatis, & in iisdem hodie  
formandis ac digerendis studiosissima occupatur solertia;  
Non enim quivis Juris-Consultus sufficit, ubi de illustrissimis a-  
ctionibus & jurib<sup>9</sup>, quæ in controversiam hæctenus venerunt, finiend-  
a est litis ac belli funesta occasio, sed adsciscendi sunt expeditissi-  
mi Status Ministri, quibus, quid partibus simul ac extraneis prodest  
aut obicem ponit, est solide compertum & multo rerum usu cogni-  
tum; Neque Stylus & ratio consignandi capita tam ardua & ma-  
ximi ponderis, in cujusvis Rhetoris offenditur auspicio, sed hic et-  
iam crena tersa ac compta, dictio elegans ac tricarum expers, imo  
nexus ipsius ornatissima coadunitio requiritur, inter quæ singula,  
quod summa & divina sapiunt, omnium sapienter ac disquisitissi-  
me versandum est iis, qui veri status Ministri pretio suo justo insi-  
gniri ac audire cupiunt, sapius enim dolis referta vox aut phrasis  
novarum turbarum molesta genitrix evasit & lites ac bella distulit,  
non vero sustulit ac penitus exterminavit; unde quod in Legatis  
frequenter ipsismet damno fuit, dum ultra commissa progressi  
sunt, id item circa hos compertum, qui in fœderibus sanciendo  
bellisve terminandis ac finiendis frustra sunt adhibiti, & quod  
hac via publice corrigere haud licuit, in capite & vita Ministri  
sapiuscule vindicatum omnis historia dedit.

Non eadem pacificationum nostrarum spiritualium est facies  
aut forma, quamvis etenim ibi etiam sint Articuli & pacis cœlestis  
firmissima instrumenta, non tamen eadem suspenduntur ab ambi-  
guo descriptionis modo, aut hominis cujusdam labili conditione,  
sed Ipse sanctissimus DEUS, fallere & falli nescius, curam gessit, ut  
suis manibus & sua Θεονεύσων manuductione, & inspiratione  
acciperent homines Legem illam Decalographicam, ut *invenirent infir-*

mitates suas, & auferentur eadem, ac vel sic quaereretur medicus, si enim levis morbus esset, contemneretur, si morbus contemneretur, medicus non quaereretur, si medicus non quaereretur, morbus non finiretur; imo hoc parum fuit Eidem, suo etiam sancto ore, suis vaticiniis & propriis doctrinis revelavit in Evangelio Medicum & Mediatorem nostrum JESUM Christum, & non modica, ut cum Macario loquar, sed inenarrabiles Christianis facta sunt promissiones, ita ut omnis gloria & decor caeli & terra & reliquum ornamentum atque varietas, divitiae quoque & pulchritudo atque delicia eorum qua videntur, nulla proportione pertingant ad fidem atque divitias unius animae. Hinc ex Augustino, lætus ac mentis tripudio elevatus exclamare possum: Quid tibi promisit DEUS o homo mortalis? Quia victurus es in aeternum. Non credis? Crede, crede, plus est jam quod fecit, quam quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promisit? ut vivas cum illo. Incredibilis est, quod mortuus est aeternus, quam ut in aeternum vivat mortalis. Jam quod incredibile est, tenemus. Et Chrysostomus omnium optime perorat: Neque mihi dixeris, permulrum peccavi, quomodo salvari possum? tu nequis, sed dominus tuus potest, atque ita potest, ut tua deleat peccata. Accurate ad sermonem adverte, sic enim delet peccata DEUS, ut neque eorum vestigium maneat. In corporibus quidem id non est ita: sed quanquam millicies conetur Medicus, tametsi vulneri medicinas addat, vulnus quidem evanescit. Saepaque in facies vulneratus quisque, atque vulnus quidem curavit, cicatrix vero remanet vni'neris argumentum, faciei deformitatem habens: atque si abolere contendat, mille medicus modis nequit: repugnat enim sibi natura infirmitas, artis & medicinarum imbecillitas: DEUS autem cum deleuit peccata, sic delet, ut neque cicatricis supersit indicium, non vestigium quodquam, sed cum sanctitate decorem elargitur: post poenae liberationem & justitiam inserit atque peccantem coequalem facit non peccanti. Extinguit enim peccatum, atque id non esse facit neque fuisse, sic enim omnino id tollit, ut non cicatrix, non vestigium, non documentum aliquod apparuerit.

DE

DE  
ARTICULIS FIDEI, QVA LEGEM  
ET EVANGELIUM.

*Prospectus Tractationis.*

- |  |   |
|--|---|
| <p><i>I. Cum de Mediis salutiferis agunt Theologi, præpararive locum de Lege naturæ exponunt.</i></p> <p><i>II. Atque docent, quomodo in rudibus adsit apud peccatores &amp; lapsos jus Naturæ? quibus mediis sit doctrinaliter ac plenius restaurandum atque consummandum? Explicant</i></p> <p><i>III. Etiam, quid sit, &amp; quousque perficiat?</i></p> <p><i>IV. Ut hac ratione A Decalogo atque Lege Morali non differat. Cujus</i></p> <p><i>V. Formalis ratio, modus exigendi, &amp; quousque contendat? explicatur. Ita ut</i></p> <p><i>VI. Lex forensis Judæorum sit Jus naturæ s. Decalogus, inter Judæicam Gentem ex &amp; applicatus, additis accedantibus quibusdam qua statuta-ria sunt, in quo tamen</i></p> <p><i>VII. Lex Ceremonialis &amp; Levitica mutuum distat. Quemadmodum vero</i></p> | <p><i>VIII. Lex Moralis non ad commercium cum DEO sancte fermandum, sed</i></p> <p><i>IX. Ad commercium cum hominibus transfundendum perficit.</i></p> <p><i>X. Ita aliud ac cœlestē medium revelatum est in Sacro Codice, quod commercium cum Deo introducit denovo, ac illud ad salutem spiritualem &amp; æternam restaurat. Quod quidem manifestat</i></p> <p><i>XI. Evangelium, cujus definitio &amp; explicatio suppeditatur. Illudque idem</i></p> <p><i>XII. publicatum jam est in Paradiso.</i></p> <p><i>XIII. Obtinuit etiam in Oeconomia salutis nostræ ante umbras.</i></p> <p><i>XIV. Inter Umbras</i></p> <p><i>XV. Et post umbras.</i></p> <p><i>XVI. Eademque fuit, est ac erit salutis Oeconomica.</i></p> |
|--|---|

## §. I.



DE Mediis salutiferis, dum agunt Theologi, comodum ac utile arbitrantur, ut de JURE NATURÆ ac Lege Morali præmittat aliqua in Scriptis Gentilium aliorumque obvia, aut etiam in Sacro Codice revelata, & eo quidem ipso præparent hominem, ut de suis viribus dubitare ac desperare incipiat, atque hoc magis solícite ad media vere salutifera anhelet, eademque ut sibi salutariter applicentur, excussa malitiosa resistentia, obsequiose patiatur. Hunc in finem disquisita tractatione monstrant; *quod*, sicut Imago DEI funditus per peccatum everfa ac depernitus delera, ita etiam ipsum Jus naturæ demum in ruderibus supersit, quemadmodum & ipsa naturalis conditio hominis rationalis miris modis sit lacerata ac foedis defectibus, imo horrendis passionibus, quoad singula ferme ac ubivis conspurcata; *Quod* juris naturæ ortus ac principium non sit derivandum a solo jussu, Imperio ac voluntate superioris cujuscunque, qui ideo imperat, vel qui tali potentia præditus sit, ut eidem resisti non possit, qui ideo leges fert, quia vult leges ferre, non tam ad subditorum, quam suum comodum, de quo etiam certum sit eum velle aliquas ferre, sed potius & omnium primo a sancta Creatoris voluntate, qui velut summus rerum omnium ac singulorum arbiter, non voluit hominem sine lege creare, sed ad exemplar sanctitatis ac justitiæ suæ, quantum tamen finita distant abs infinitis, eundem perficere, divinis suis placitis conformare, & ad societatem humanam sancte ac sincere colendam, plene instruere; *Quod* in hoc, citra omnem applicationis violentiam & quam amicissime conspirent singula, quæ in ruderibus adhuc restant,

stant, juris Naturæ scilicet, ut non amplius ex eo, quod DEus, quem Hobbesius, si non nomine, re tamen ipsa sustulit, imperium habeat, legesque ferre possit, ex jussu & voluntate Creatoris obligentur creaturæ, quoad specificum eorundem esse, sed ex hoc longe magis, quod arbitrio polleant homines, ad sanctam legem restricto & ad ejus invariabilem normam formato, ut in specie boni fulgida versarentur libertate & impolluto placito sanctitati divinæ conformes evaderent, adversus omnem mali ac peccati iniquationem sufficientissime muniti, præservati atque corroborati; *Quod* aliqua illa, quæ omnes Gentes communi pravitate probant, quamvis in se sint mera injustitia, jus certe non faciant, siquidem non obscura inter Gentiles ipsos supersunt documenta, quæ ortum hujus depravationis, quin & modos depravationum qualicunque ratione cognitos probant, & deplorata ac detestata multoties satis ample designant.

## §. II.

Quando interea plenius docent, Jus Naturæ qua rudera, in peccatoribus adhuc demum adesse, tunc exasciata discussione vindicant, *quod* vel ipsi Gentiles agnoverint naturam docere non posse, quomodo ad nos prima boni honestiq; notitia pervenerit? quæ demum semina scientiæ non ipsam scientiam dederit, siquidem omnium honestarum rerum semina, animi gerant, quæ admonitione excitentur, non aliter, quam scintilla, flatu levi adjuta, ignem suum explicat, atque hac ratione indoles naturalis non sit penitus extincta, sed demum obscurata & oppressa, ut sic adhuc & quadantenus gratiosa sit virtus & insitum etiam malis maneat, videre ac probare meliora; *Quod* hæc ipsa rudera juris naturæ feliciter advertantur ac claro penitus modo conspicua evadant, simul ac Christianus ex revelato Codice, omnem Legis naturæ faciem ac essentiam com-

pleta effigie ac adæquata forma acceperit: quemadmodum enim Architecti ex ruderibus palatiorum, pristina palatia, ad formam artis suæ, retroducunt, & scribæ peritiores delatas literas fuscitare ad exemplar quoddam noverunt, ita longe faciliori modo Theologus dispersa juris naturæ rudera & sicilimenta ex Gentilium scriptis collecta, revelatione sancti Codicis adjutus, ordine concinno dispertietur, solertioribus curis restaurabit, & ubi ceu manca ac mutila deficiunt, omnium felicissime complebit atque consummabit; *Quod* & denique, etiamsi quoad doctrinam Juris naturæ omnia his divinis augmentis sint absoluta & exhausta, Gentiles non solum in adimplendis iisdem, quæ gnaviter callebant, imperfectos semet ipsos judicaverint & dum τὰ τῶν νόμων patrarent, quid omnibus partibus suis obesset & abs iisdem abesset serio deprehenderint nec unquam satis dedolere valuerint, sed ipsi etiam fideles ac credentes, divina revelationis & spiritualis operationis prærogativa fruentes, non tamen sic deponant carnem & impetus concupiscentiæ & onus circumstantis peccati, ut non terreat simul ac soletur eosdem sententia servatoris: *Cum feceritis omnia, quæ mandata sunt vobis, dicite; utique servi & quidem inutiles sumus, quia quod debebamus facere, fecimus.*

## §. III.

Auxiliis itaque gratiæ stipati & per sanctam revelationem eruditi magis nosmet Christiani, id affirmare non veremur, *quod*, quam scite alias Physici de natura hujus universi, de indole digregatarum specificæ rerum, de vera conditione motus tam passivi, quam activi, tractationes suas sustinuerint, ut inde ad principium aliquod hujus Universi, præter, citra ac ultra illud ipsum, omnipotens, infinitum ac immensum ascenderint, nobis tamen heic loci & præcipue sit res & propior occupatio, cum illo ipso principio, in quantum agitationes spirituales animarum nostrarum

rum

rum ipsasque illas animas, veros certe spiritus, sua potentia produxit, & cum corporibus conjunxit, imo, velut id maxime hujus est operæ, speciali quodam, & operativo Juris Naturæ principio perfecit, ut socialiter viverent suisque officiis in commercio humano fideliter, sincere sancteque defungeretur; *Quod* hac ratione Jus Naturæ cum ipsa ratione humana non debeat confundi, aut reciproce adhiberi, aut velut effectus ejusdem æstimari, quemadmodum enim habitator domus non est ipsa domus, præfectus castelli non est ipsum castellum, nauta non est ipsa navis & luminare non est ipsum conclave illuminatum &c. ita etiam Jus Naturæ non & ipsa ratio, sed ejus magis egregium adminiculum, emolumentum atque jubar, quo ipso perficitur & functionibus socialiter superandis aptus atque instructus evadit homo rationalis; *Quod*, quanta etiam diversitate venerit & acceptum sit inter multos vocabulum *juris* & *legis*, ad præscriptum sancti tamen Codicis, designet homini rationali, abs ipsa generatione, inditum jussum & moraliter obligans statutum Numinis, ut aliquid supra se positum revereatur, semet observet & proximo non obsit, quo ipso perficiatur homo rationalis, ut vivide utatur hac sua facultate & potestate, atque in objectis promiscue variantibus societatum, arbitrio inculpato, quantum id hoc rerum statu possibile, versetur, demonstrant siquidem Gentes & longe elevatori modo cognoscunt credentes, *opus Legis scriptum in cordibus suis, dum illis testimonium perhibet conscientia illorum & inter sese cogitationes accusant vel etiam excusant*; *Quod* Lex & Jus hoc Naturæ non satis commode dici possit *ipsi Numini coævum*, ut enim omne receptivum, velut in scholis loquimur, recipit non ad modum imprimentis, sed ad modum receptivitatis suæ, ita sufficit, placuisse sancto Numini, hæc omnia ac singula cum humano genere communicare, quæ requiri poterant

ad socialitatem genuinam formandam & integre conservandam: quantum istud inter finitas creaturas & sic finito modo effici potuit; Quæ propter & dici non potest, jus illud Naturæ *ex omni voluntate divina*, ortum trahere suum, quod potius determinata ratione ad socialitatis firmamentum & ad commercium humanum inter homines stabiliendum ac conservandum, vergere peculiariter debuit; *Quod*, dum peccatorum ea sit ferocia, ut arroganter præcellere gesti-ant, leges difficiles averfentur, felices esse cupiant labore non magno, nec injucundo, non cognoscant, in quo vera felicitas ipsorum consistat, quæ sit ejus dignitas, quidve eandem deceat? neque veram suam felicitatem ament, lubentius felix quodcunque fingant, & verosimile quodvis pro vere bono amplexentur, atque præterea mille modis depravato suo indulgeant genio, vel ipsis conscientiaæ stimulis aliquando & ad tempus excussis atque supplantatis, ex singulis tamen iisdem non possit inferri, quod non dentur rûdera juris naturæ, sed sufficiat, exinde dispalescere ac in apricum deduci miserum eorundem statum ac deplorandam iniquationem, quod adhuc illustri magis explicatione patefiet, dummodo Gentilis & profanus quisque animum applicuerit ad ea, quæ sacer Codex, quoad obligationem & exactionem juris naturæ, usque ad interiora animorum & ipsarum cogitationum penetralia tra-duxit.

## IV.

Exoritur vero, hæc eadem serio considerantibus profusa lux, quando persuaderi sibi met patiuntur, *quod* Jus Naturæ, quoad omnem & verum suum complexum a Decalogo & lege morali omnino non differat, Decalogus enim est Legis divinæ, in primæva creatione hominum mentibus inditæ, solennis repetitio & declaratio, ab ipso DEO, in monte Sinai, tabulis lapideis, inscripta & a Mose in vitæ

vitæ normam promulgata; *Quod* ea ratione fit illa ipsa  
 lex, qua Trinunus DEUS & peculiari quodam modo Ange-  
 lus increatus ac Messias, velut unus & verus Legislator,  
 verba fœderis sui, quoad commercium inter homines exer-  
 cendum, inter myriades Angelorum sanctorum denuo in  
 monte Sinai, tremendis signis, publicavit, ut Moſis mini-  
 ſterio transferretur ad Iſraelitas, qui, etiãſi hæctenus de ea-  
 dem, & revelatione per naturam & pluribus aliis revelati-  
 onibus, abunde fuerant edocti, illius tamen non decentem  
 ſatis habuerant obſervationem, atqve inter impoſſibilia  
 legis parum curaverant gratiam Summi Numinis, qua in  
 Meſſia ſuo intolerabili hocce jugo ſunt exonerati ac a ma-  
 ledictione liberati! *Quod* abſonum propterea fit Clerici ju-  
 diciũ, qui commentari aulus eſt, *ante omnia obſervandum*  
*eſſe, animum DEI non fuiſſe, audiente populo, aut univerſam*  
*Legem, aut ejus compendium quoddam proferre, ſed tantum*  
*omnium præceptorum, quæ maximi erant faciendã, quibus*  
*poſtea alia minoris momenti addiderit ſolo, Moſo audiente.* Quo-  
 usque enim ad Chriſti eſſatum. *in duobus illis præceptis: Di-*  
*ligas DEUM & proximum, Lex pendet & Propheta,* ad vi-  
 tam ſobriam & DEO ac hominibus placitam, gerendam,  
 commonentes, ut *omne os obſtruatur & reus fiat omnis mun-*  
*duſ DEO,* eouſque Decalogus etiam faciendorum & fugien-  
 dorum abſoluta ac irreprenſibilis manet norma, ad quam  
 ſubſecutæ forenſes Judæorum leges facile referri poſſunt,  
 modo, ne ipſas Leges Leviticãſ ſimul accerſiveris, qua-  
 rum longe alia, ut mox patebit, eſt conditio, modus ac  
 tenor; *Quod,* velut expreſſa conſtat litera, dari duas tabu-  
 las & decem præcepta, ita etiam per ipſum contextum &  
 veritatis valorem, ſit demonſtratum, præceptum iſtud *de*  
*ſculprilibus,* non opponi primo Decalogi præcepto, cujus  
 modo plenior ſit explicatio, quia, non diffidentibus id ipſis  
 Reformatiſ, *habere DEUS alienos, in ſe comprehendit (a)*  
 præter

præter unicum verum DEUM aliquid mente concipere aut existimare divinum esse & illi iudicio mentis nostræ, divinam excellentiam tribuere, ( $\beta$ ) illud affectu religioso colere, ( $\gamma$ ) actu externo iudicium vel affectum animi nostri exprimere & testatum reddere; Quicumque ergo imaginem DEI, quem effigiare nemo potest, sive imaginem creaturæ, sive ejus quod non existit, sed vana credulitate existere tantum fingitur, quodcumque tandem sit, sive in cœlo sive in terra, sive in aquis sive sub terra effigiaverit, ille prævaricationem suam non modo in hoc demonstrat, quando aut substantiam naturalem advocat, tanquam supremum Numen, aut divinæ naturæ adscribit corpoream quandam formam, sed & præcipuo in isto, quando loco spiritualis ac invisibilis divinitatis adorat & cultum præstat corporeis objectis, eademque vel tanquam inferiora numina, quibus mundi gubernatio concessa, vel tanquam partes DEI, in quæ, quod DEUM extra aut supra rationalium cultum positum esse vane persuadetur, cultus ac honor DEI tendere debeat, idololatrice æstimat & circa eadem affectu religioso ipsoque cultu externo occupatur; *Quod* nonum & decimum præceptum & numero & re ipsa distinguatur, quia  $\text{התאוה}$  istud, Deut. V. 21. exprimit appetitionem anxiam & vehementem in ipso suo principio & ortu, quando puta anima talis exhibetur, quæ non potest non concupiscere & in qua peccatum Originis quoad ipsum primum suam motum, actuositatem suam inquinatam perpetim excludere molitur, dum inclinationibus suis intrinsecus hinc inde distortis, & stricturis ac flammis omnibi divagantibus, tumultuatur & virulenta pro! satis vivacitate emergere conatur, quare etiam inter fomitem hujus peccati & ejus suscitatas divagationes difficulter distinguere valemus, eo quod illud ipsum indefinentibus motitationibus & molitionibus sit semper actuosum.

§. V. Cum

## §. V.

Cum igitur in homine peccatore & sibi relicto, perpetua maneat inquinatio & ad malum promiscue ferociens suscitatio, hinc & per Sacrum Codicem edocemur, quod prima illa motuum malorum origo, fomes & stricturearum summe exilium, ortus ac initium, sit legi morali detestandum quid & damnationem ipsam secum ducens, ut sic per quamvis accessionem & quodvis augmentum major evadat vindicta Numinis, ac conciliari eadem non possit, donec tam proæretica & voluntaria, quam & illa peccata, quæ per subitam abreptionem aut ignorantiam introducta, quini- mo tandem ortus & prava singulorum istiusmodi origo ac prima inquisitionis illius sicilimenta, ad extremum usque apicem, sint conciliata & consummatissima satisfactione compensata, quale quid tamen nec abs hominibus expectandum, eo minus, quo nec punctulum peccati, futuris meritis compensare valent, & si quisquis totam Legem servaverit, lapsus vero fuerit in uno aliquo, is fiat omnium reus; *Quod* divina juris naturæ & Decalogi regula, quoad commercium cum hominibus formandum & conservandum, summam utilitatem secum, ferat arguendi desides, corrigendi teroces, commonestiendi sinceros, imo & ipsam conscientiam stringat, dum cogitationes se invicem accusant vel excusant, neque in peccatore, nisi aliud quid accesserit, possit non usque ad desperationem ac damnationem grassari, qua quidem conversio stricte sic dicta nullos igniculos aut strictureas gratiæ, amoris, fidei aut fiducia alere ac adferre potest, utpote quæ singula & in universum regenerationi solummodo competunt ac relinquenda sunt, nisi fortean id urgere velles, quod Lex sit in manu Spiritus S. quæ eandem moderatur ac salutifere dirigit, ut peccatores tristitia afficiantur secundum DEUM & pœnitentia ad salutem non pœnitenda, introducat, atque sic nullum

B damnum

damnum sentiant: in quo tamen denuo, quod Legis est, & virtute ipsius introducitur, a gratia Spiritus S. in Oeconomia meriti Christi, circumspicte ac solícite discriminandum; *Quod* ad rigorem Legis exacta actio, etiamsi a piis & optimis Christianis sancte, sobrie & vivide exerceatur, nunquam tamen in veram, formalem ac legalem perfectionem ascendere valeat, longe minus, & si vel maxime adjuti sint mediis salutaribus, eo eniti possit, ut legis rigori exasciari & ad amissum conformetur, & debitum de quo singuli tenemur, exsolvere aut rationes has sanctas obliterare, delere aut exsolvere possit; *Quod*, denique adimpletio legis non ferat omne punctum satisfactionis per Jesum præstitæ, sed quemadmodum lex ultra commercium cum hominibus juste ac pie exercendum, in formali sua ratione, non extenditur, neque etiam modum cultus externi & mediorum salutis docere aut exhibere potest, ita poena amissæ imaginis divinæ, quæ funditus deleta & cujus ruderæ, quoad Biblicas doctrinas, non supersunt, manebat præcipue Mediatorem, cujus satisfactio justitiæ divinæ præstita, ut sic commercium cum DEO & peccatoribus rediret exoptatum; quamvis & imaginis divinæ plenaria in hac vita restitutio nec promissa, nec speranda, inde tamen ad satisfactionis diminutum valorem concludere non licet, sed pugna spiritualis cum carne, mundo & diabolo, ad Oeconomiam potius salutis nostræ & placitum Redemptoris nostri referri debet, ut sic, qui per efficaciam meriti Christi, in ipso momento præstitæ satisfactionis, restitui potuissemus, quia jure meriti Christi debuissimus, in tentationes stiusmodi se do'oritateas & misere affligentes simus destinati & dispositi, solo Mediatoris nostri arbitrio, qui inter has ipsas castigationis patetnæ sensus, admonitos nos voluerit de dira peccati inquinatone, ut bonum certamen certemus & coram DEO, Christi solo merito justificati ac salvati, inter

inter homines *τεμπνεια* nostræ gratitudinis, Spiritus Sancti virtute & gratia, non nisi mediis salutaribus alligata, exhibeamus, donec tandem finem vitæ & animæ beatitudinem gratis reportemus.

## §. VI.

Interea proderit cognovisse, quod velut in ipsa Oeconomia spirituali non aboletur politia, atque in eadem admittuntur leges positivæ & arbitrariæ, ita singulæ eadem, quoad veram suam formam ac genuinam essentiam, sincere referant Juris Naturæ seu Decalogi ex. & applicationem, modo quod acceperint aliqua regiminum, provinciarum, consuetudinum particularium, morum actuumque modamina, quæ promiscue & ubivis applicari & in praxin deduci nequeunt; hinc de LEGE *Judæorum* sic dicta FORENSI illud equidem certum est, quod formam gubernationis civilis ac politicæ, Summi Numinis sancta voluntate, & Mosis ministerio, populo huic peculiariter constituerit, ut societate civili feliciter conservata, abs aliis Gentium reliquarum politiis & exterioribus consuetudinibus moribusque, quoad forum, tum civile, tum criminale discernetur, & administratione separata quidem, sed & ubivis sanctissima & multoties omnium Gentium instituta superante instrueretur; Quod, ad hoc jus forensis Judæorum referendæ sint Leges de Regibus & subalternis Magistratibus, de gegendis sic & non aliter bellis, insimul etiam aliquot capita de matrimoniis, nec minus constituta privatorum de mercenariis, peregrinis, pauperibus, pupillis & viduis; de servis, homicidiis, deposito & damnis illatis; de ponderibus mensuris & usuris mordentibus; De filia Sacerdotis scortatrice comburenda, de desponsata, quæ cohabitavit alii, cum ipso subactore lapidanda, de pœna mortis super hunc, qui desponsatam suppressit; de potu Zelotypiæ, de manu mulieris, quæ cædentis pudenda arripuerat, de libello repudiij,

de numero ictuum infligendorum, de delendis & interimendis idololatriis, & totius etiam civitatis idololatricæ everfione, de præftigiatoribus, falſis Prophetis, maledico ac blaſphemante nomen Jehovæ, Sabbathum prophanante, parentes percutiente, aut eis maledicente & contumaci ac rebeli; de occidendo eo, qui gravidam damno affecerat; de iis, qui abs honoribus publicis & muneribus arcendi, de memoria Amalekitarum evellenda, de limitibus non transferendis, & adhuc alia plura; *Quod ſint inter has Leges forenſes Judæorum multæ nunc ipſo jure & natura ſua obſoletæ, ut tamen illæ, quibus matrimonium normatur quoad perſonas & gradus, eo referri nullatenus poſſint. & ubi juſta reſeſſionis eſt cauſa, ſobrie & ſolicite morale ipſum cum ſtatutærio non confundatur, eidemque juſtum ſemper & ubivis maneat pretium & reverenda æſtimatio,*

## §. VII.

Alia vero in univerſum eſt ratio LEGIS ſic dictæ CEREMONIALIS & Leviticæ, quæ inter Judæos ad tempus certum obtinuit, de illa ſiquidem abunde conſtat & evictum eſt, *quod ad jus naturæ & decalogum ac legem moralem referri non poſſit, & in ſe ac ſua natura nil ſit aliud, quam evangelicus modus Oeconomix ſpiritualis, ad montem Sinai introductus, ut DEUS populum hunc certa forma externi cultus ſibi obligaret, & is ipſe in umbris typorum Leviticorum & ſacrificiorum fideliter manuduceretur ad Redemptorem, cujus merito totus mundus eſt conciliatus; Quod hujus veritatis firmamentum facileprehendatur in collatione Librorum V. & N. T. ita quidem Leges de *locis & ſtructura tabernaculi* reſpiciebant ad Meſſiam, qui eſt in omnibus emne, *tabernaculum* vero ipſum referebatur ad humanam ipſius naturam; porro leges de *Altari* declarabant *Θυσιας ἁγίων*, ex quo edendi poteſtatem non habent, qui adhuc tabernaculo ſerviunt; *Altare Thymiamatis**

*matris* ducebat ad Θεῶν ἰσοποιῶν intercedentem perpetuo & merito-  
 ritorie pro nobis; *Mensa panum* eundem Redemptorem exhibebat, qui panis est vitæ, ut non esuriat is, qui venit ad ipsum; *Lychnuchus* significabat fidem in Christum, qui est Lux mundi, *ostia* seu vela determinabant unicam salutis viam, *Summus Sacerdos* concilians, exhibebat Jesum per propriam sanguinem semel in sancta ingressurum, ut æternam redemptionem inveniret, *Arca fæderis* ad officia Christi applicanda, *Labrum æneum*, quadrabat suo modo ad baptismum; *columna nubis* & *ignis* ad illuminationem eorum, qui sedebant in tebris & umbra mortis, respiciebat, ut simul omnipræsentiam Trinunius DEI & Ejus gratiosam operationem confirmaret: Eadem in Templo Salomonæo illustriori quodam documento sunt communicata, ibi namque ad Messiam in mundum introducendum omnis analogia explicari commode potest, *Templum* namque magnificentum traxit ad gloriosum Messiam, quoad utramque naturam, in Ecclesiæ salutem spiritualem, Ejus fundamentum monstravit viam ad angularem & lapidem foundationis, *muri stupendi turres* & *ornamenta reliqua* tutelam Numinis & custodiam Angelorum, *Mare æneum* & *labrum Sacerdotum* purificationem per media salutis, *duæ columnæ æneæ* veritatem & firmitatem utriusque naturæ in Christo, & *œconomia tota in umbris* solicite & ad punctum omne delineavit totam œconomiam sine umbris & Ecclesiam N. T.; Habuerunt & *Astylo* typum peccantium & Redemptoris, ut de personis, vestimentis moribusque reliquis sacris nil perhibeam.

## §. VIII.

Sed superest non contemnenda disceptatio, *an*, puta, *Lex moralis non nisi ad commercium cum hominibus sancte formandum audeat atque perficiat?* Vidimus hic plures & ad hunc usque diem venerabiles nobis Doctores, qui omnino legem moralem, ceu causam vitæ æternæ defendunt, proindeque,

B 3

cum

cum formalis ratio Imaginis divinæ ex confesso consistat in iustitia & sanctitate, hanc utramque legalem ferme faciunt, quin imo restaurationem Imaginis divinæ secundum normam legis moralis contingere arbitrantur, in quo omni penitus se credunt confirmatos, quia Lex moralis & DEum & cultum Numinis tam interiorem, quam exteriorem expressa regula exhibeat; Verum pace illorum, multa nobis superest causa, ut argumenta adjiciamus quorum robore convicti sint plures, ut per citatas rationes se nondum sufficienter superatos profiteantur: præsupponunt hi, quod sensu Biblico nullæ supersint reliquæ Imaginis divinæ, Protoplastarum namque posteri ad unum omnes plane mortui sunt in peccatis, & quoad commercium cum DEO existunt filii iræ & inimicitia adversus DEum; quoad lumen in spiritualibus datur in iis miserabile oppositum, ut sint prohi! spissæ tenebræ; quoad obligationem glorificandi DEUM Trinunum, afferunt ignorationem DEI, incredulitatem, diffidentiam, contemptum & odium DEI; quoad intuitivam visionem DEI, substituit peccatum in plenissime obscuratis, tædium imo omnimodam impossibilitatem scrutandi mysteriosas Trinunius DEI vias, & cataclysmum format speculationum carnalium & diabolicarum, quibus non potest non indignari sanctissimum Numen; Quoad fruitionem DEI beatificam manent ipsis pro regula verba Apologiæ: Weiter wird gelehret / daß nach dem Fall Adæ alle Menschen / so natürlich geböhren werden / in Sünden empfangen und geböhren werden / das ist / daß sie alle von Mutter- Leibe an / voll böser Lust und Neigung sind / keine wahre Gottesfurcht / keinen wahren Glauben an GOTT von Natur haben können / & justissime mox reprehendi Scholasticos judicant, qui cum de peccato O. loquuntur, graviora vitia humanæ naturæ non commemorant, scil. ignorationem DEI, contemptum DEI, odisse iudicium DEI, vacare

care metu & fiducia DEI, fugere DEum iudicantem, irasci DEO, desperare gratiam, habere fiduciam rerum præsentium &c. Adjiciunt posthæc uberius explicata, quod proinde prima & fundamentalis Propositio in Theologia comparativa, non sit illa Matth. XXII, 37. : *Dominus DEUS noster diligendus est toto corde, tota anima, totis viribus, quam sancte nimirum & quam solide Lex Moralis exigit animam hominis, ipsa originali concupiscentia vacuæ faciendam, & omnino orbam, tam solide nihilominus & omnium cautissime ex forma & finibus æstimandam esse eandem, decidunt, ut, dum ad salutem spiritualem atque æternam nil suis viribus confert, neque sanctus & inculpatus iste rigor ad talismodi operationes ascendere valeat, id vel in ipsa Imaginis divinæ præsentia, illi impervium judicari necessario debeat, & post amissam Imaginem omnino sit impossibile.*

## §. IX.

Venit & ex hæcenus discussis, quantum equidem nobis videtur, sanctior iste docendi modus, quo multi & magni nominis Theologi nil fœderis, stipulationis & restipulationis, vel in ipso integritatis statu invenire se potuisse, ingenue professi sunt, quicquid etenim illuc in sacris trahi solet, de eo fiducia quadam perhibent; Quod meram gratiosam DEI dispositionem in hominis bonum, exhibuerit, in promissionibus DEI substituerit, omne promiscue meritum hominis excludat, totumque genus humanum ad mendicorum ac inopum forum, instituta seria consideratione, detrudat, velut id hodie inter peccatores ample demonstratum & in Protoplastis etiam ipso suo jubare non minus radiet. Propterea vero Imaginem Adami divinæ Imagini sic opponunt, ut hanc primis hominibus, & hunc in finem collatam ostendant, quo gratiam spiritualem & æternam acciperent & sic in salutem suam spiritualem

ac

ac æternam traduci potuerint, nulla propriæ capacitatis operatione, æstimatione aut merito, utpote qui commercium cum DEO Trinuno exercuerint, ad solum gratiæ divinæ modulum exigendum. Hæc etenim divina gratia mediante Imagine divina, illuminavisset intellectum, ad Myſteria Trinunius DEI fideliter ac fiducia- liter apprehendenda, & sanctificasset voluntatem ad istam conformitatem spiritualem, quæ ex parte nobis, non per Legem, sed Evangelium restituenda & quam non nisi Christi merito restitutam, cognoscimus; Quem- admodum & per Legem nulla venit notitia Trinuni- us DEI, cultus externi, mediorem salutis, Ministerii & sic porro, omniaque ac singula, quæ Lex moralis inculcat, ad gratiam hominum spiritualem atque æter- nam nec adspirare possunt, nec eadem ulla etiam ra- tione beari, ita satis se didicisse arbitrantur, si inge- nue supponant, aut probo nexu inferant, Legem mo- ralem, ad omniscii & sanctissimi Numinis intentio- nem, propterea cordibus hominum inscriptam, ut, aliquid supra se positum revererentur, semet ipsos obser- varent & proximo non obessent; qua quidem ratio- ne felix commercium cum hominibus, quoad tempo- ralia transigerent, nec DEO, nec sibimet ipsis, nec proximo conciliandi, sed ubivis ad præstanda munia, negotia, amores & suppetias æque prompti ac para- ti, gloriosa quadam æmulatione invenirentur.

## §. X.

Hæc vera Legis est facies & quousque in sacris Bibliis de eadem quid legitur, eo usque, nec ultra, facultas & forma & moralitas ejusdem extendi potest ac debet; Cum ergo generi humano Imagine divina omnique gratia & spiritali & æterna per peccatum penitus

penitus privato. venerit medium restitutionis in Christo Redemptore, qui iustitiam indignantem Trinunius DEi conciliavit, dum peccata totius mundi & singulorum, quotquot fuerunt, sunt, & erunt hominum, satisfactione consummatissima delevit; Hinc in Scriptura S. illud verbum illaque dogmata copiose ac omnium sufficientissime sunt revelata, ut sciret orbis, quæ DEi fuerit sapientia, hominum & Angelorum scrutamina, superans; ut acciperet peccator, in quo satisfactio Trinuni Zeloti præstita? ut invenirent credentes, quibus mediis accessus ad gratiam ipsis sit apertus? Non etenim metuendus est amplius DEus Trinunus, cui satisfactio ad omnem suum terminum præstita; Non desperandum est inter debilitates nostras, quibus ad ultimum vitæ halitum angimur, ubi vulnera JESU abluunt unice ac purificant abs omnibus peccatis; Non habendus est miser nostrum status, in tentationibus etiam & multis deliquis fidei deflebilis, ubi inter media salutifera Templum sumus ac habitaculum Trinunius DEi & humanæ peculiariter naturæ in Christo, quæ nostri causa dolores infernales lenit, & in quam Jehovah incurrere fecit omnium nostrum peccata; Quæ & œconomix spiritualis exteriora sint fata, nunquam tamen dies aut momentum est viventis in orbe hominis, ubi non accessus facilis, sollicitatiourgens, illuminatio docens ac ducens, vitæ spiritualis vivida oblatio beataque collatio, & mediorum diviniorem salutifera ac invariabilis potestas, inexcusabilem reddat omnem, qui non nisi ad prævisam & frivole exercitam malitiosam resistantiam, in ipso vitæ termino durantem, vi satisfactionis & meriti Christi perennantis ac infiniti, repudiari aut rejici potest; in quo propterea dono gratiæ spiritualis ac æternæ, per Christum unice partæ, collatæ & conservatæ, exultant

C

tant

tant credentes, ubi de omni merito suo desperantes, eademque velut imperfectissima & maxime spuria ex animo despicientes, coram Tribunali supremi Judicis non sua, sed Christi satisfactione conciliari, mediis salutiferis frui & æternum salvari volunt, cupiunt atque confidunt.

## §. XI.

Omne igitur, quicquid in Sacro Codice gratiam merito Christi partam revelat, media salutis certo Ministerio dispensata exhibet, fidem inde accendere, formare ac perficere spondet ac demonstrat, inque gloriam conciliati Numinis, beatitudinem, tam spirituales quam æternam, hominibus singulis offert & credentibus actu ipso atque salutariter confert, illud ad EVANGELIUM referri & nomine Evangelii insigniri necessario debet. Et de hoc unice consulente & consolante Evangelio docet Sacra Scriptura, quod sit verbum regni, explicans modum ingrediendi in regnum spirituale ac æternum, imo plenam utriusque doctrinam ad salutem singulorum exporrigens, ut satisfactione Christi revelata & actu ipso præstita, omnibus atque singulis pateat gratiosissimus accessus ad thronum DEI & Agni, unde Spiritus S. procedit: quod hoc verbum regni spiritualis ac æterni revelaverit nobis Deus per Spiritum suum, qui non est ipsum Evangelium velut Sociniani garriunt, sed Evangelii istius publicator, etiam si sapientes hujus mundi & empæctæ stultitiam præconii id habuerint, doctis Spiritus S. verbis re vera publicatum; Spiritus enim patefactionis, per quem novimus ea, quæ sunt Dei, & quæ ipse nobis est gratificatus, mediante hoc Evangelio, irradiatione potenti, fidem accendit in cordibus nostris, adoptionem, libertatem & obsequationem præstat in diem redemptionis, dum nos vere certos reddit de pro-

promissionum divinarum veritate spe & expectatione; *Quod*, dum præconium verbi medium sit unicum & efficacissimum fidei producendæ, omnis ejus virtus & efficacia hac ratione tam in primum actum, quam in plenarium & consummatum applicationis peculiaris effectum influat, ut quemadmodum Spiritus S. nunquam extra & sine verbo, sed semper in & cum verbo Evangelii spirituales ac æternam salutem hominum operari ac introducere velit, ita etiam ipsi verbo Evangelii, omni tempore ac momento, eadem & æqualis indita sit salutaris vis atque efficacia, quæ nec elevari magis, nec in se & sua natura variari aut destrui possit, ibi etiam, ubi maligna resistentia extrema omnia molitur & quo minus ad peculiarem applicationem ac fructum privaræ salutis & applicationis pertingat, scelestè contrahitur, opponit & oppugnat.

## §. XII.

Indepatet, *quod* neque variaverit unquam hæc Evangelii doctrina, ubi DEus Ecclesiam suam collegit, & quo tempore aut exteriori schemate Oeconomiam salutis dispensavit; statim namque post lapsum determinatur maledictio, adaugeta super Diabolum, in *inimicitia*, & docetur in primo Evangelio, *quod* Messias peccatorum Goel ac restitutor, terrorem suum missurus ante facies suas, & daturus sit internalem adversarium generis humani in cervicem & fugam, ut ceu princeps mundi hujus ejiciatur foras, nec amplius grassetur ac insidiis suis officiat; Manent & perpetuæ doctrinæ, solo demum tempore limitatæ, & ubivis ac semper creditæ, *quod* semen mulieris particeps se fecerit carnis & sanguinis, ut per mortem aboleret eum, qui virtutem habebat mortis, hoc est diabolus, & dimitteret eos, quotquot timore mortis per omnem vitam obnoxii erant servituti; *Quod* hoc ipsum

tenam & hic ipse Messias, cui omnes Prophetae testimonium perhibent, indulserit, remissionem peccatorum accipere per Nomen ipsius omni, qui credit in ipsum, ut non sit in alio salus, dum solus sit contriturus caput serpentis & ceu fortior superveniens, victurus eundem, armaturam istius auferendo, super qua confusus erat, & spolia ipsius distribuendo, dum Sathanam sub pedibus credentium conteret; *Quod* hac ratione delere debuerit Messias chirographum, quod contra nos erat dogmatibus, illudque sufferre e medio, affixurus id ipsum cruci, & exuere simul principatus & potestates, ostentaturus palam, triumphaturus de illis per Seipsum, ac penitus dissoluturus opera Diaboli, ad dulce vaticinium Hoseæ, quod Paulus recantat: *E manu inferni redimam homines, e morte liberabo eos: Ero pestes tuæ o mors, ero exitium tuum o inferne: pœnitentia abscondita est ab oculis meis; Quod* exinde æterna Dæmonis pœna venerit dum principatum ac domicilium suum sceleste relinquens, abs omni communiōe DEi & sodalium beatissima exclusus, in abjectissimo suo sit relinquendus loco, & dum non perstiterit in veritate, & mendacio velut peculio quodam suo circumvolvatur; in omnium peccatorum ac errorum labyrinthum, a cognitione & fruitione Summi boni in DEo, ab amore & desiderio ejus, in odium perpetuamque inimicitiam, imo in summi mali abyssum æternarumque tenebrarum tartarum semet ipsum præcipitaverit & dira continuatione detestandam rebellionem consummet, hinc nec locus ipsi sit restitutioni, quin omnibus diebus vitæ suæ, quam, dum spiritus est, non terminat, tormenta inferni & æternæ mortis sit toleraturus, velut ex Gen. III. 14, recentiores Exegetæ egregie & solidissime demonstraverunt; *Quod* e contrario denique totum genus humanum, mediante illa redemptione & consum-

matissi-

matissima satisfactione, redierit in pristinam & omnem Trinunius Numinis gratiam, & primi statim homines in Oeconomiam Spiritualem translati sint & mediis salutiferis instructi, ut noverint scitissime, quid acceperint ex merito Messiae, qua fide in eundem inclinare ac acquiescere possint, & qua voluntate conciliati Numinis, in salutiferis dogmatum & sacrificiorum mediis, fiducia protensa Ipsum revereri teneantur; Non enim ex hoc, quia Moses Theologiae Protoplastarum extensioem non consignavit formam, concludi debet, ac si ulla dogmatum salutis caruerint scientia, per gratiam enim domini nostri Jesu Christi credimus nos salvari, quemadmodum etiam illi, & propterea, quicquid nobis in justificationem & salutem spiritualem ac aeternam est revelatum, illud nec iisdem disputari aut denegari potest.

## §. XIII.

Eodem demonstrandi modo ante diluviū obtinuit eadem & aequalis salutis spiritualis & aeternae oeconomia, certum enim est, quod Protoplasti tunicis pelliceis amicti Gen. III. 21, si loca Lev. V. 31. 37. 38. conferimus, ad residua sacrificii nos ducant, quorum expressius documentum est in sacrificiis Caini & Abelis, non enim indagatu difficillimum est, qua ceremonia Divino Numini res sacras primum dedicaverint? eo namque jamdum religio exteriori habitu vestiebatur, ut ad Messiae mortem in sacrificiis manuduceret, sine sanguine enim nulla erat remissio; quod sacrificandi ritus non obtinuerit solius rationis dictamine, longe minus plurima Scripturae loca diserte testentur, sacrificiorum inventionem esse *ἰδεὸς ῥήσεως*, quamvis enim sacrificium & oblationem non voluerit a Mediatore Messia, omnium sacrificiorum *ἑπιτόμα* Ps. XL. 7, multitudinem sacrificiorum

abs impiis & incredulis exhibitorum nauseaverit, Jes I. 11. 12, neque in tempore, quo jam eduxerat populum suum ex Ægypto quicquam præceperit de sacrificiis & holocaustis, quæ ceu nuda caro & opere operato, adferebantur, Jer. VII. 22. imo graviter offensus fuerit in cultu saturni vel solis potius, Amos V. 26. atque non acceperit ex indigentia aut fame juvenum & hircos Pl. L. 9, omnium falsissime tamen exinde concluditur, præceptivas legis formulas potius *directive*, quam *mandative* explicandas esse, ut pleraq; legis instituta ad modulum vetustissimæ ætatis, per quamdam DEi συγκατάβασι, Mosis ministerio ordinata sint; *Quod* hac ratione sacrificia non sint juris naturæ, illud ipsum enim rationem conciliationis ignoravit & promissionis de Messia expers est, quem nec excogitare, nec adsciscere valuit ratio sibi relicta, si etiam vel sanctorum Angelorum fuisset, quin imo neque sanctissima hæc morum norma, neque ipsa etiam imago divina talia requirere valuit, eo quod integer adhuc homo eorum non indiguit, & juris naturæ invariabilis norma isto schemate indui non potuit, usque ad ultimum terminum suum; *Quod* propterea post diluvium etiam in sacrificiis Noachi, Melchizedeki, Abrahami, Isaaci, quorum æmula apud Jobum, Jethronem imo vel ipsum Bileamum vidimus, præcipue etiam in novo circumcisionis Sacramento & pluribus aliis cultus publici actibus, ample demonstrata sit eadem salutis nostræ Oeconomia.

#### §. XIV.

Non opus est, ut de POLITIA LEVITICA, quam œconomiam DEi in umbris vere dixeris, prolixiora exhibeamus, quem enim fugit, quid testamentum illud tot  
can-

cancellis, repagulis & obicibus oblitum & communitum venerit de monte Sina & servitutem generet, & sanguine & mortibus fuerit confirmatum; *Quod* sic quidem nucleus & medulla singulorum rituum ac cultuum revelaverit statim ac perpetuo indice antitypum & Redemptorem nostrum JESUM CHRISTUM, qui non per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, ita ut æternam redemptionem invenerit; *Quod* testamentum hoc non fuerit quoad figuras & externum corticem, æternum & immutabilis voluntatis divinæ placitum, testamentum enim non est ipsa voluntas ultima morientis, sed demum ultimæ voluntatis attestatio, & vocabula ברית ac διαθήκη indubitato fœdus ac medium quoddam designant, cujus executio consummata pendet a morte testatoris; *Quod* hac ratione Paulo cognitum fuerit primum Testamentum, sine sanguine equidem non initiatum sed tamen & sanguinem Mediatoris non effundens, verum eundem effundendum olim adumbrans; *Quod*, velut in omni testamento & in omni Oeconomia spirituali fuit fœdus, quod DEUS cum homine pepigit & ad quod hominem benignissime vocavit, ita œconomia in umbris & Politia Levitica istiusmodi etiam fœdus habuerit, utpote in qua revera fuit sollicitatio DEI ad pacem, amicitiam & unionem cum ipso; bonum ipsum, quo mediante pacem istam introducere molitus est; consensus fidelium ac credentium super istud bonum, quo mediante pax & salus spiritualis restituenda, & denique jus ad ambiendum, expectandum & erogandum hocce bonum, hac eadem insimul conditione, ut quotquot hominum malitiose non opponerentur, tot etiam gratiosa oblatione & applicatione præsto foret id, quod per sapientiam & gratiam

tiam DEI singulis est adinventum, pollicitum, & acquisitum; *Quod* ne quidem in locis Exod. XXXIV. 10. Es. LIX. 21. Jer. XXXIII. 29. vocabulum כְּרִית propositum deum significet, sed verum potius ac formale fœdus, æq; ac νομοθεσία Ebr. IIX. 6. principium potius est διαθήκη, exhibens illud fœdus cum bono suo, in salutem spirituales ac æternam contendens, & propterea quoad rem ipsam Testamentum V. T. respectu medullæ & nuclei, omnium verissime & efficacissime, idem illud est Evangelium, quod in Paradiso cœpit, ante diluvium continuavit, in tentoriis Patriarcharum celebratum est, & in Novo Testamento celebratur, de quo etiam non dicendum quod aboleri possit cum ritibus pristinis, sed quod maneat potius ad usque ipsam æternitatem.

## §. XV.

Hoc vero Testamentum, quod NOVUM dicimus, quia ceremoniis & cultibus externis Politicæ Leviticæ vacuum, atque sine umbris istis pristinis perficitur, instituit denique ultimis diebus, Redemptor & certos nos fecit, *quod* consummaverit, & implendo absolverit umbras, typos & quicquid futurorum olim expectatum, ne nos quis iudicet in cibo aut potu, aut in parte festi aut Novilunii, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra futurorum; *Quod*, Iperatus hæctenus & expectatus, constituto tempore venerit & in carne apparuerit, ubi prærogativa custoditi Codicis, Leviticæ Oeconomix, Templi & sacrorum, imo totius Politicæ Judaicæ expiravit & quicquid quoad corticem & figuras ibi adumbratum, quoad rem ipsam ac medullam ad Novum Testamentum devolutum eidemque proprium exitit; venit namque hora, quando neque in monte Garizim, neque in Hierosolyma adoratur Pater, neque hic est sermo,

fermo, neque sunt verba, ubi non est audita vox eorum, qui divinam sapientiam significando publicarunt, in omnem namque terram exivit linea eorum & in finem orbis verba eorum; & postquam semel comparuit Sacerdos Princeps, sanctus, innoxius, impollutus, separatus a peccatoribus & excelsior factus cœlis, is non sibi ipsi sumpsit honorem, sed vocatus a DEo veluti Aaron Testamentum Novum constituit; *Quod* is constitutus S. Sacerdos & unicus proprie talis & genuini nominis Redemptor non amplius ex Levitico stemmate, sed ex omni promiscue tribu & populo, dederit aliquos quidem Apostolos, alios vero Prophetas, alios Evangelistas, alios vero Pastores & Doctores, quorum successive & postmodum inito cum Ecclesiis consensu, constituti sunt per urbes Presbyteri, donec aggregatis ad Christianam fidem Magistratibus, ordo Ministerii sacer, jure quodam sic dictorum trium statuum, quoad exteriora publicitus consolidatus; *Quod* denique cum in V. T. sacramenta circumcisionis & agni paschalis rem cœlestem quidem, ipsum Christum & Redemptorem nostrum habuerint, quoad efficaciam divini sui meriti, res terrestres tamen, character nempe carni per circumcissionem impressus & sanguis elicitus, agni paschalis item significatio innocentiae, mactationis & mortis Christi cessationem, omni puta isto, quod typi aut figuræ habuit rationem, excluso, ut sic effectu sanguinis & mortis Christi in Baptismo & Sacra Cœna non solum potirentur, sed & ipso præsente, corporis & sanguinis Christi in Sacra Cœna vere participes evaderent, iisdem actu ipso fruerentur, inventi præterea tanquam liberi, sed non tanquam velamen habentes malitiæ, libertatem, verum tanquam servi Dei.

D

§. XVI.

## §. XVI.

Patet proinde affatim, quod inficiandum non sit cum Socinianis, promissiones vitæ æternæ factas esse in Vet. Test., neque cum Arminianis opinandum sit, promissiones vitæ æternæ, sub Vet. Test. factas, nonnisi typicas & sub generalibus verbis obscure comprehensas esse, nec denique arbitrandum sit, quod doctrina legis, quatenus est ministerium mortis & damnationis, ubicunque in Scriptura inveniatur, pertineat ad Vetus Test., doctrina vero de iustitia fidei in Christum, ubicunque in Scriptura extet, pertineat ad N. T., sicuti enim doctrina legis, quatenus est ministerium mortis & damnationis, obtinuit abs ortu peccati & durabit usque ad ultimum mundi terminum super infideles & non credentes ad damnationem, quin super ipsos fideles in statu sanctificationis ad doctrinam & obedientiam, postquam præstata Christi satisfactione eadem non adeo abolita, quam adimpleta, ita fuit & erit in omni Oeconomia spirituali; & quemadmodum doctrina Evangelica de iustitia fidei in Christum, per omnem Oeconomiam externam, ipsum centrum fuit salutis spiritualis, per Christum enim nobis remissio peccatorum est annunciata, & ab omnibus, quibus non poteramus in lege Mosis iustificari, ita hæc eadem nec caruit, nec carere unquam potuit ulla Oeconomia, quæ singulæ potius, ex hoc unico fundamento Oeconomiam spirituales unice dici merentur; Quod male docuerit Limborchius, integrum Evangelium, prout complectitur munus Mediatorii administrationem, mysterium in Veteri Testamento fuisse absconditum, ibidemque proprie loquendo non fuisse Christi Mediatoris, sed DEI Ecclesiam, tunc temporis collectam

Etiam, quomodo & communiter in Scripturis dicatur: fallit enim & fallitur, dum hæc monstra sententiarum & sibi & aliis persuadere annisus est, cum vel ex ipso Veteri Testamento, quicquid de Evangelio proditum unquam, omnium clarissime cognosci potuit, nec Patribus Vet. Testam. facile disputari potest omnis credendorum & agendorum complexus, quo instructi ac feliciter sunt usi, eodem modo, & vigore, quo nosmet ipsi; Non enim Prophetæ de hac salute inquisiverunt & scrutati sunt, ceu minori revelationis gratia dotati, præ viris *θεοπνεύστοις* Nov. Testam., alias siquidem non potuissent prophetare de ea gratia, quæ in nos venit, nec verum esset, quod DEUS, qui ultimis temporibus locutus est nobis in filio, olim sit locutus multis vicibus multisque modis Patribus in Prophetis, quod tamen vere omnibi atque in hunc finem factum est, ut crederent omnes & singuli, quod JESUS sit Christus, Filius DEI, & ut credentes vitam habeant in nomine ipsius. Quam vere ergo Redemptor noster singulos redemit & in peculium sui acquisivit, tam vere etiam in omni Oeconomia salutis, re ipsa prædicatus & creditus est Redemptor, non enim est in alio quoquam salus, neque etiam nomen est aliud sub cælo, quod datum inter homines, in quo oporteat nos salvari: Concordat ferme cum illa opinione, seculum istud majoris revelationis, quod post Dh. D. Spenerum urgere cœperunt hi, qui novaturientium ingressi sunt castra, docuerunt enim, quod Regnum quoddam instantis propediem revelationis credi debeat, ubi major glorificatio divini Nominis & fidei sit expectanda & egregia & hætenus nondum facta Ecclesiæ summe admirabilis amplificatio contingere debeat, cujus formam ex Daniele & aliis Prophetis exscul-

pere anni sunt: In illo enim istiusmodi lumen exspectant, quod animabus divinum characterem, intellectui cœlestem *προσβολήν*, internos oculos, profundioresque ideas, & voluntati, quoad eminentissimum gradum, sanctiores agitationes & placita diviniora conferat, ut non amplius verba & vocabula in memoriam sint figenda, aut intellectus humanis ideis & imaginationibus sit opplendus, sed divino potius more & per cœlestem *ἐλλαμψιν* novamque Spiritus Sancti effusionem omnia contingere debeant, dum Spiritus S. lumen suum, quod hæcenus in scripto & prædicato verbo non fuit, infundat, ut in corde vivificetur & in has vires lurgat, ut in DEum ipsum redeat creatura, indeque puri-quin Deificetur, ad cognoscenda interiora hominis, imo ipsius Numinis, & in Sympathia stupenda ubi vis id quod divinum offendat, accipiat eodemque fruatur: Adversus quæ *βηλύματα* observatum est diu, quod ultra verbum revelatum nulla sit veritatis cujusdam, obscuræ & in abscondito adhuc latentis norma & regula; quod verbum hoc revelatum contineat omnia & singula ea, quæ ad salutem nostram spiritualem & æternam ducere peccatorem valent, & sic ad fidem conferendam confirmandam & consummandam sufficiunt, eruditum enim potest reddere hominem ad salutem & ad omne bonum opus perfecte instructum, quicquid ergo ultra verbum sapiunt Novaturientes, id omne habemus cavendum & judicamus detestabile.



\* \* \* \* \*

**S**ic igitur Tua sedulitas & amor Studiorum,  
 Quis indefessus, pernox & perdius usque  
 Sat generosa acie, monstras victricia facta,  
 Laudes omnigenas pariunt in utraque Cathedra :  
 Te duxit dignum *Summe Reverendus* in urbe  
 Guffrovia *Superintendens* celebrisque SCHAPERUS,  
 CUI *SUPERI* tribuant vitarum insignia fausta!  
 Quem *Lohmii* nuper ad tentamen sisteret illis,  
 Provida qui voluere viarum NUMINIS ALMI;  
 Sed iussit Moderator Olympi ut sponte redires,  
 Rostochii studiis vice prisca conciliandus,  
 Id quod more Tuo voluisti rite sacrare,  
 Parnassi egregias doctrinas considerando;  
 Nec fuit hoc satis ardori nam pulpita sacra  
 In laudes renovasque Tuas, & amabile quidvis  
 Prædicat is, qui audit, videt & meditatur & ambit  
 Usuras bene congeminas virtutis ejusdem:  
 Et hos inter Ego FRATRIS memor hic *Reverendi*  
 Quem dilectum habeo & quantum pote, prosequor ar-  
 dens,  
 Gratulor hanc fortem, celebris dum biga PARENTI  
 LOHMANNO, Seni sincero, gaudia parat!  
 Atque Tibi, quod villa negat, Academia donet!  
 Sic volo, sic votis calidis precor, auguror, ico!

L. M. Q. congr.

Præses.

E

NOBI-

NOBILISSIMO CLARISSIMOQUE  
DN. LOHMANNO,

*Factori suo & Amico suavissimo,*

S. & O.

FR. ALB. ÆPINUS.

**I**Ta ad sacrum, cui destinatus es, Ecclesiæ Ministerium  
Te rectè convenienterque præparas, Optime LOH-  
MANNE! agisque, ut omnes intelligant, magis Te  
semper magisque conniti, quò plura majoraque curæ  
tuæ, cum DEO visum, concedendo Gregi afferre commo-  
da queas. Expertus hæcenus sum tuam in prælectionibus  
meis, Auditoris earum non assidui solùm, sed & attenti,  
laudabilem omninò ac indefessam diligentiam; nec dubito,  
de quo indoles tua persuasum me certumque reddit, quin  
idem ceteri, queis Studia tua formanda concedidisti, Præ-  
ceptores Tui de Te laturo testimonium sint. Imitandum  
etenim Tibi duxisti Germani tui natu majoris exemplum,  
quem quondam æquali ardore sacra tractare Studia recor-  
dor, quique jam Ecclesiæ suæ cum fructu præest, id quod  
feliciter semper procedere Numen Altissimum jubeat, opto.  
Nec vero solam ejus imitatus industriam es, quin operam  
dederis, ut illi moribus etiam ceterisque virtutibus Te si-  
milem præstares, non ignarus quippe, Ecclesiæ Ministrum,  
tanquam œconomum DEI & sanctorum ejus mysteriorum  
dispensatorem, non *διδάκτικον* modo, sed *ἀνεπίληπτον* etiam &  
*ἀνέγκλητον* esse debere. Quapropter operam dedisti, ut in  
pietate ac omni virtutum genere magis quotidie proficeres,  
quibus & Coeli Tibi gratiam conciliares, & hominum favo-  
rem. Restabat, ut specimine quodam eruditionem tuam  
Publico probares, quod cum nunc aggressurus es, laudabile  
hoc Tibi tuum propositum enixè gratulor, DEum submissè  
rogans,

rogans, qui feliciter ipsum succedere, Teque, cum omni-  
um directrici providentiæ illius placuerit, utilem Ecclesiæ  
Ministrum faxit. Interea etiam atque etiam vale ! Scrib.  
Rostoch. d. 12. Octobr. Anno MDCCXXII.



# SSSSEI.

**SS** <sup>\* \* \* \* \*</sup>  
It der Gelehrsamkeit ist es also bewandt/  
Als wie mit einer Frucht/die in den Hülsen steckt.  
So lang der Kern noch bleibt durch seine Schal  
verdeckt!

Ist dessen Süßigkeit den meisten unbekandt.

Und alle Wissenschaft heist ein verworffner Land!

Wenn sie sich durch die Zung und Feder nie erwecket!

Denn was sich über nichts als unsern Kopff erstrecket!

Das hat den Eigen-Sinn zu seinem Gegenstand.

Ihn hat/ Geehrter Freund/ein anderer Trieb gerühret!

Der JHR mit frischem Muth heut zur Catheder führet.

Daselbsten leget er die schönsten Früchte aus!

Die er im Helicon so reichlich eingelesen!

So zeigt **SEIN** munter Geist/Sein aufgeräumtes Wesen!

Wie nützlich er dereinst wird seyn im Gottes Haus.

Seinen Hochgeehrtesten Hn. Landsmann/wolte hiedurch  
zu Seinem *specimini publico Theologico* gratuliren/  
und alles fernere Bedeyen anwünschen!

M. IO. CHRISTIAN. BURGMANN,

E 2

Bestürg-

## I.

**B**estärktes Zion! Auf! Ermuntre deine Sinnen!  
 Greiff nur getrost zum Schwerdt! es schneidt noch scharff  
 genug;  
 Laß Satans Feder nur von Gifft und Mord-Blut rinnen/  
 Sie schreibt doch sonst nichts als nur von Selbst-Betrug.  
 Es mag die Hölle stets für Meyd und Eyser rasen/  
 Wer fräget was darnach / es steht der Grund noch fest:  
 Laß ihre Engel selbst zum Streit und Lärmen blasen/  
 So bleibt die Hölle doch ein stets zerstöhrtes Nest.

## 2.

Bestärktes Zion! Auf! Ermuntre deine Sinnen!  
 Noch blüht die reine Lehr in unserm Gottes Haus;  
 Die Lügen kan doch nicht der Wahrheit abgewinnen/  
 Zulezt steht sie beschämt und richtet nichts aus.  
 Sieh nur den Kampff-Platz an! Darauf ein WEIDNER stehet  
 Und streitet ritterlich für Gottes Ehr und Lehr:  
 Sieh doch / wie diese Sach so wohl von statten gehet;  
 Die Lügen ist verstummt und redet nichts mehr.

## 3.

Bestärktes Zion! Auf! Ermuntre deine Sinnen!  
 Es sind noch andre hie den Gottes Wort gefällt /  
 Auf die des Herren Geist läßt Weisheits-Strohme rinnen;  
 Sie tragen keinen Scheu zu gehn ins Streit-Bezelt.  
 Und du mein Bruder! wilt dich auch zum Streit anschicken/  
 Und deine Wenigkeit im Kämpffen lassen sehn.  
 Doch weiß ich: wird es dir durch Gottes Gnade glücken/  
 Weil du führst dessen Sach / so wirstu schon bestehn.

Mit diesen geringen Zeilen woltz seinem geliebten  
 Bruder gratuliren!

**IOANN. LOHMANN,**  
 Pastor zu Lärz.



**B**estürzt  
Laf Satans  
Sie schre  
Es mag die  
Wer fräg  
Laf ihre Engel  
So bleibi

Bestürktes Zie  
Noch blü  
Die Lügen kan  
Zulezt ste  
Sieh nur den  
Und streit  
Sieh doch / wi  
Die Lügen

Bestürktes Zie  
Es sind no  
Auf die des H  
Sie trage  
Und du mein B  
Und deine  
Doch weiß ich :  
Weil du f

I.  
! Ermuntre deine Sinnen !  
zum Schwerdt! es schneidt noch scharff  
genug ;  
Bist und Mord-Blut rinnen/  
en nichts als nur von Selbst-Betrug.  
Neyd und Eysen rasen/  
ch / es steht der Grund noch fest :  
reit und Lärmen blasen/  
ein stets zerstöhretes Nest.

2.  
ermuntre deine Sinnen !  
hr in unserm Gottes Haus ;  
e Wahrheit abgewinnen/  
t und richtet nichts aus.  
an! Darauf ein WEIDNER stehet/  
r Gottes Ehr und Lehr :  
so wohl von statten gehet ;  
t und redet nichts mehr.

3.  
ermuntre deine Sinnen !  
den' Gottes Wort gefällt /  
st Weisheits-Strohme rinnen ;  
u zu gehn ins Streit-Gezelt.  
dich auch zum Streit anschicken/  
Kämpffen lassen sehn.  
durch Gottes Gnade glücken/  
Sach / so wirstu schon bestehn.

erungen Zeilen wolte seinem geliebten  
gratuliren!

IOANN. LOHMANN,  
Pastor zu Lärzh.

